

meum ad te, qui desuper mihi manes, transibo et istam vim meam, quae memoria vocatur, volens te adtingere, unde adtingi potes, et inhaerere tibi, unde inhaereri tibi potest. Habent enim memoriam et pecora et aves; alioquin non cubilia nidosve repeterent, non alia multa, quibus adsuescunt; neque enim et adsuescere valerent ullis rebus, nisi per memoriam. Transeo ergo et memoriam, ut adtingam eum, qui separavit me a quadrupedibus, et volatilibus coeli sapientiolem me fecit. Transibo et memoriam. Et ubi te inveniam, vere bona et segura suavitas? Et ubi te inveniam?

CAPUT XVIII. RES PERDITA NON INVENIRETUR, NISI MEMORIA  
TENERETUR.

Si praeter memoriam meam te invenio, immemor tui sum. Et quomodo jam inveniam te, si memor non sum tui? Perdiderat enim mulier drachmam, et quaesivit eam cum lucerna, et nisi memor ejus esset, non invenisset eam. Cum enim esset inventa, unde sciret, utrum ipsa esset, si memor ejus non esset? Multa memini me perdita quaesisse atque invenisse. Inde istud scio, quia cum quaererem aliquid eorum, et diceretur mihi: num forte hoc est? num forte illud? tam diu dicebam: non est; donec id offerretur, quod quaerebam. Cujus nisi memor essem, quidquid illud esset, etiam si mihi offerretur, non invenirem, quia non agnoscerem. Et semper ita fit, cum aliquid perditum quaerimus, et invenimus. Verum tamen si forte aliquid ab oculis perit, non a memoria, veluti corpus quodlibet visibile, tenetur intus imago ejus, et quaeritur, donec reddatur adspectui. Quod cum inventum fuerit, ex imagine, quae intus est, recognoscitur; nec invenisse nos dicimus, quod perierat, si non agnoscimus; nec agnoscere possumus, si non meminimus. Sed hoc perierat quidem oculis; memoria tenebatur.